

et observare, ita futuri praepositi et quilibet eorum singulariter, cum electus fuerit, statim requiratur a priore vel alias fratre seniore ex parte capituli, ut ista statuta puncta et omnia praescripta simili forma ut praefertur obvervare promittat. Quod si facere recusaverit, nullus de fratribus sibi obedientiam faciat, nec ad aliquam administrationem temporalium admittatur; et si ita se ad alios actus seculares diverterit, cadit a iure sibi per electionem quaesito nec capitulum decretum electionis sibi praestare debet, antequam haec servare promiserit. Si vero aliquis praepositus ipsorum salutis suae immemor unum vel plures articulos principales et notabiles de praedictis solverit aut observare noluerit cum effectu, debent fratres de capitulo caritative ipsum admonere, ut praemissa servet, ut obligatur. Quod si noluerit, possunt et debent ipsi fratres haec reverendo in Cristo patri et domino, domino Casparo episcopo Misnensi moderno aut suis successoribus ordinariis denunciare, qui dictus episcopus talem transgressorem censura ecclesiastica ad supradictorum observantiam debet compellere, in quo ipse praepositus sub poena promissionis factae fratres ipsos quocumque modo non impedire debet sub poena privationis beneficii et officii. Similiter et omnes fratres iam capitulares ac quilibet ipsorum singulariter praeposito praesenti promisit stipulata manu, in quantum ipsum haec concernunt ac tangunt seu tangent in futurum, eodem vinculo et forma promissionis, ut haec totaliter velit observare. Concluserunt insuper et volunt, ut nullus frater amplius recipiatur in capitulum, nisi haec singula, ut praefertur, promittat observare. Demum voluerunt et ordinaverunt, ut praescripta puncta et statuta in singulis quatuor angariis semel legantur in collatione sive mensa, ne aliquis transgrediendo se de ignorantia poterit quomodolibet excusare. Ut igitur praesenti supraposito conscripto ac omnibus in eo contentis nec non aliis promissionis punctis hinc inde factis, sicut praemittitur, per dictos dominos praepositum priorem capitulares ac seniores et ceteros conventuales memorati monasterii sanctae Affrae ac ipsorum successores quoscumque debite et per omnia perpetue pareatur, iidem domini omnes et singuli de requisitione praenominati decreti religiosorum virorum dominorum videlicet Frederici Hackin prioris monasterii sancti Petri Montis Sereni et domini Petri Schenkel sui associati comprofessi fratris, visitatorum et reformatorem, praesens publicum instrumentum in robur et evidens testimonium omnium et singulorum praescriptorum per impensionem sigillorum praepositurae et capituli dicti monasterii sanctae Affrae roborari et communiri fecerunt.

Et ego Nicolaus Czepplaw clericus coniugatus Wratislaviensis diocesis, publicus sacra imperiali autoritate notarius, quia praemissis omnibus et singulis praesens interfui etc.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden. Die Siegel sind abhanden gekommen.

No. 279. 1453. 27. Dec.

*Kurfürst Friedrich II. beurkundet, dass der erbare Johans Stoyan Probst zu St. Afra angezeigt habe, wie das er Nickeln vnd Hansen Pregern vnsern burgern zcum Hayn vnd liben getruwen die zcinse hirnoch volginde im dorffe zu Doberwicz *) in der Heynischen pflege gelegen abe-*

a) Grossdobritz, Par. Gröbern.